



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 3. An omnes cooperantes ad damnum tenentur singuli in solidum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

tutionem eum, qui fuit causa, ut damnum citius inferretur, tum ex l. 5. ff. ad leg. Aquil. ibi: *Si quis seruo mortiferum vulnus inflixerit, eundemque alius ex intervallo ita percusserit, ut maturius interficeretur, quam ex priore vulnere moriturus fuerat, statuendum est utrumque eorum lege Aquiliã teneri*: tum quia alioqui potuisset executor mutare voluntatem, vel impediri à damno inferendo: & sic damnum sine tuo consilio vel opera potuisset non exstitisse, & fortè non exstitisset; deinde es causa damni hinc, & nunc illati.

Q. 3. An omnes cooperantes ad damnum tenentur singuli in solidum?

Resp. I. Mandans, consulens, consentiens, laudans, vel receptans, &c. tenetur ad restitutionem totius damni, si causa fuit totius damni, partis verò, si solum partis causa fuit. Nam quisque tenetur refarcire totum, & solum damnum, cujus causa iniusta fuit: & quando ad idem damnum concurrerunt, tunc singuli tenentur in solidum modo infra explicando.

Quoad participantes, cum plures cooperantur ad idem damnum inferendum, sic ut singuli sint causa actionis iniustæ, seu conferant in actionem injustam; ut dum plures communi consilio, operâ, auxilio, domum, vineam, hortum spoliant, gregem abigunt, vel ædes incendunt, aut unus præbet aliis instrumenta, v. g. claves, arma, scapas, &c. tunc

K 5

singuli

singuli tenentur in solidum, id est, unusquisque tenetur non solum restituere pro sua parte, sed etiam resarcire totum damnum, si alii non restituant, vel quia nolunt, vel quia non possunt. Nam singuli in totum damnum influxerunt communi conspiratione, operâ, vel auxilio; & re ipsa actio damnosa est communis omnibus: ideoque singuli sunt causa totius damni, & quidem totalis totalitate effectus, cum totum damnum oriatur à singulis, licet sint partialis causa partialitate causæ, ex l. 31. ff. *ad leg. Aquil.* ad obligationem autem in solidum factis est, quod quilibet eorum sit causa, ex qua damnum illatum est, sive unus seorsim ad illud sufficeret, sive non: nam licet posset unus per se ipsum seorsim damnum inferre; at re ipsa hic & nunc sine hoc tanquam socio alius damnum non infert, & sic uterque est causa damni in totum. Ita *Covar. Medin. Cajet. Sol. Molina, Lessius, Tannerus, &c.* Nec obstat quod concurrant ad totum damnum solum partialitate causalitatis: ideoque solum partialiter damnum à singulis proveniat: nam hoc probat singulos teneri tantum absolute ad partem damni, hypotheticè verò ad totum, seu ex hypothesis, quod alii non restituant, qui tamen suam partem teneantur rependere alteri pro se restituenti; cum actio damnosa verè à singulis promanet.

Hæc autem obligatio in solidum ad totum magis adhuc constat respectu participantis, qui

qui ita concurrunt ad damnum, ut sola ejus actio
 sufficeret ad illud creandum, licet non sola
 illud creaverit; quia ex modo, quo influit,
 totaliter ponit effectum, & est causa simplici-
 ter illius. Ut si duo simul lethaliter vulnerent
 aliquem, singuli eum occidunt, quia singuli
 ponunt id, quod sufficit ad ejus mortem. *Ita*
De Lugo. Item respectu causæ partialis, sine
 ejus causalitate, & cooperatione, quâvis aliâ
 causâ superadditâ, effectus non fieret: nam
 tunc moraliter loquendo & inæstimatione
 prudenti singulæ ejusmodi causæ partiales
 æquivalent totalibus: nam licet singulæ non
 possint ponere effectum, & damnum; pos-
 sunt tamen illud impedire subtrahendo coo-
 perationem, sine qua effectus non fiet. *Ita*
idem De Lugo, Vasquez.

Quando verò plures sic damnum inferunt,
 ut singuli solum faciant partem damni inde-
 penderent à se mutuò, ita ut unus non move-
 at, nec incitet, nec adjuvet alium, ut cum plu-
 res per se separatim, sine communi consensu,
 conspiratione, & opera, damnum inferunt;
 tunc singuli non tenentur in solidum, sed so-
 lum pro suâ parte, & independenter à se invi-
 cem: quia tunc unusquisque non est causa to-
 tius damni, sed solum partis damni, quod per
 se intulit.

Resp. II. Causæ negativæ damni, seu non
 impediens damnum alterius, scilicet mutus,
 non obstans, non manifestans, cum ex iusti-
 tiâ

tiâ tenentur impedire, ex communi obligantur in defectum aliorum ad restitutionem in solidum: quia sunt causa iniusta totius damni post alios; nam causa permissiva damni contra debitum iustitiæ, est vera illius causa iniusta, cum potuisset, & debuisset ex iustitia impedire, nec tamen impedivit, unde violavit ius, quod alter habebat, ut eius damnum impediret, quod proinde ei merito imputatur.

Q. 4. *Quo ordine cooperantes tenentur ad restitutionem?*

Resp. Inter obligatos in solidum hic ordo ex communi Doctorum sententiâ, servandus est.

1. Loco, & ante omnes tenetur is, apud quem res aliena existat in se: nam qui rem alienam in individuo habet, tenetur eam restituere ratione rei acceptæ, ideòque primariò: res enim aliena, quamdiu existat in se, per se debetur Domino, sempérque clamat pro eo.

Quòd si res aliena jam non existat in se, & is ad quem pervenit, consumpsit, aut alienavit eam mala fide, sciens aut saltem dubitans esse alienam; tunc adhuc ante omnes tenetur ejus pretium restituere; quia *Pro possessore habetur, qui dolo desit possidere.* Reg. Jur. 36. in 6. & quia nova injuria, quam fecit alienando, vel consumendo, non liberat eum à restitutione primo loco facienda, perinde, ac si rem haberet. Alioqui ex iniquitate sua commo-
dum